

444

442

448

vineae, et fici, habent enim illi de Jerusalem hortos suos ibi.
Cumque extra hortos venissemus, ad locum ruinarum murorum
veterum venimus, et ibi dicunt fuisse hospitium, in quo tres
reges diverterunt, quando cum suis muneribus Bethlehem
proficiscebantur. Inde consequenter profecti sumus, et ad
locum petrosum venimus, in quo dicunt, quod beata Virgo
Maria gravida residens pausaverit ad respirandum, et ostensus
nobis fuit locus sessionis sua. In hoc ergo loco (B) de
asinis resilivimus, et locum venerati sumus et mirati pariter
et delectati in hoc loco, sicut et in tota via, compassi etiam
tenerrimae et gravidae virginis pro tam longo itinere a Nazar-
eth usque Bethlehem, plus quam X teutonicorum milliarium.
Unde quidam devotus peregrinus in hoc loco mente se junxit
venerabili Joseph, ac si cum gravida juvne etiam ibi resi-
dens quiesceret in praesenti, et his verbis aggressus est eum:
compatior virginis tenerae et gravidae, cur eam, o bone Jo-
seph, ad hos altos et asperos montes ducere tecum voluisti?
Quare eam non in Nazareth in quiete dimisisti, et nisi fide
illuminatus essem, procul dubio te zelotypum judicarem; nes-
cis queso, quam praequantibus et praesertim partui propin-
quis motus est nocivus, etiam molestus. Quid ad eam Cae-
sar is descriptio? Numquid nescis, quod mulieres non urget
Augusti edictum? Putasne describantur nati, antequam nati? etc.
Ad haec Joseph jocunde intuitus peregrinum istum, respon-
dit: quia ut fidelis et fide illuminatus loqueris mihi, fideles
tibi, o peregrine, rationes facti assignabo. Audi. Cogitaveram
quidem, auditio Caesaris dictio, virginem in Nazareth dimit-
tere. Sed grave mihi erat, tantum thesaurum mihi singula-
riter commissum adeo post me relinquere, nec inveni, cui
possem depositum hoc immensum committere. Grave insuper
mihi erat, abesse tam splendidissimae nativitati, ad quam
ministrare totis praecordiis gaudebam. Super hoc Scripturae
non ignarus scio, ducem, quem virgo haec paritura est, in
Bethlehem nascendum ad regendum populum Israel. Sed et
ipsa virgo, me dispositum ad iter cernens, nullatenus manere
voluit, sed tamquam ad nuptias vocata mecum ire celerrime
se disposuit, in somnis etiam angelus mihi adstitit, et virgi-
nem gravidam mecum ire praecepit, ut puerum natum mox

343

393

Ende

Anfang